



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pe pagomenus>

Lvtetiae, 1612

I. Medicamentum ad purgandam visus debilitationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

imbuta cautè oculum inungito, mane &
vespere, & vt prius acute videbit.

Ad visum debilitatum fumo.

DVM gestatur, conniuet & difficulter
videt, lacrymas profundit: in nares
iniecto opobalsamo, ad sanitatem perue-
niet.

*Medicamentum ad purgandam visus
debilitationem.*

PIPERIS, costi, folij, baccarum lauri,
singulorum scrupula bina, nardi spi-
catæ, euphorbij, zinziberis, pediculariæ,
laseris, singulorum sesquiscrupulum, ca-
ryophylli scrupulū, simul tunsa hæc cribro
tenuissimo transmissa, conijcantur in ca-
lamum, aut æneam fistulam, ne exhalata
euanscant. Cum accipiter illinendus erit,
prius palatum eius veteri vino erit made-
faciendum, in eiusdemque os vehementer
inspirandum, vt medicamentum purga-
torium imbibatur. in vtrasque nares tan-
tum inijciendum, quantum capiunt. Hoc
vbi ter factum fuerit, id quod sumitur ex
medicamento purgatorio sicco, melle At-
tico aspergetur, coque accipitris palatum

& guttur defricabitur, & vt imbibatur per pinnam, procurandum: deinde in sole collocandus , vt omneis humores , qui capiti & ventriculo insederunt, dissoluantur atq. purgentur. post horas quinque detur ipsi columba. hora nona ad aquam ducatur, vt & bibat, & lauet. nam ex medicamento siti flagrantem valde potio recreabit . postero die ad perdicum aucupium emittendus, vt plenius illorum esu confirmetur.

Ad vermes oculorum.

OCULIS accipitrum vermes ingenerari solent ex longo & copioso vſu carnium sordidarum & male olentium: ex his putrida materia in capite colligitur, ex qua oculi laborant defluxionibus , quæ à cerebro putridæ manantes gignunt vermes . hos sequitur oculorum prurigo , & sternutatio frequens. sanguis per nares crumpit . Hoc morbo affectum ita curari conuenit. Accipitrem trade alteri scitè manibus tenendum , tu verò illius leniter palpebris reseratis , melle Attico imbuta molli spongia, latentes vermes depellito. sic enim excutiuntur ad mellis crassitudinem adhærescentes. Multi etiam aucupes

F ij